

092

090

096

086

101

081

141

041

191

591

Ende

Anfang

81

majus sit civitate Parisiensi, accipiendo Parisias cum tota circumferentia castrorum et antiquorum palatiorum, etiam trans flumen cum campis et planitiebus intermediis. Sic accipiendo constat, eam in triplo majorem esse quam Coloniam, et Coloniam in triplo majorem esse, vel in quadruplo, quam Ulmam. Sic ergo, si Cayrum esset per circuitum murata, possint in ipso muro stare Ulmae civitates octoginta quatuor simul. Dicitur enim, quod tanta sit, sicut de Ulma usque in Memmingen directe sursum per vallem Ileris, et hoc est verum, accipiendo mensuram Cayri ab horto balsami usque ad duo milliaria supra Pyramides, regum Aegypti sepulchra, ubi ruinae immensae sunt civitatis Thebae, et ab eo loco usque ad hortum balsami sunt vel aedificia vel ruinae vel plateae ad sex milliaria germanica. Habet autem tria non parva milliaria allemannica longitudinis in actu stantibus struturis cum suis plateis, et in latitudine unum et dimidium milliare. Quidam enim, qui id certum habebant, asserebant, civitatem illam jam actu stantem in latitudine duodecim millia centum septuaginta duos passus habere, in longitudine vero quindecim millia habere centum et septem passus, absque parte magna urbis, quae dicitur Turbii, in qua sunt sepulchra Soldanorum et Primatum, ut dictum supra fol. 98., quae pars apud nos ingentem faceret urbem, et absque castro Soldani, quod tantum in magnitudine spatium occupat cum sua circumferentia, quantum fere oppidum Vlmense, vel pars altera oppidi Nurenbergensis. Nam Turbii sola dicitur habere quatuor millia et octingentos passus: eques enim sub quatuor horarum intervallo sine intermissione iter faciens longitudinem civitatis forte posset transire, ipsam vero totam in decem horis circuire cum equo currente. Si vero volumus ad urbis magnitudinem etiam computare suburbia, multo major erit, nam (b) ab horto balsami sunt horti pulcherrimi cum magnis palatiis et continuis usque Cayrum.

Haec urbs hodie tam magna est, quod Roma capere suis moenibus non posset solas moscheas vel Sarracenorum ecclesias, quae in ea sunt. Dicitur enim, quod in ea sint scilicet sexaginta millia moscheae cum turribus, inter quas XXIV^{or} millia parochiales et contratae divisae, de quibus quatuor decem millia vectibus et seris et catenis ferreis de vico ad vicum protensis noctibus singulis clauduntur et ferreis portis secluduntur, ne